effectus nihil satisfactionis addi, per se loquendo, et ex opere operantis respectu mandantis. Possunt autem talia opera prodesse primo per accidens seu remote, quatenus is, qui eleemosynam recipit, excitatur ad orandum, vel satisfaciendum pro defuncto, qui dare præcepit, ad quod etiam ex gratitudine tenetur, et interdum posset esse major obligatio, si sub ea conditione et quasi pacto eleemosynam reciperet; quanquam ea obligatio nunquam esse videatur ad modum operis, scilicet, ut fiat in gratia, sed tantum ad substantiam talis operis, orationis, vel similis; quod est signum, hæc opera non præcipi, ut satisfactoria formaliter, sed tantum ut impetratoria, unde etiam verisimile est, talia opera facta ex præcepto alterius conferre aliquid ad impetrationem, quia non tantum bona opera, sed etiam effectus bonorum operum possunt movere Deum ad exaudiendas facilius orationes et aliquod beneficium ex misericordia præstandum, quamvis ad præmium justitiæ valere non possint. Atque ob has causas nocumentum inferunt defuncto, qui eorum pia legata implere omittunt, aut differunt, præter peccatum infidelitatis, quod committunt, et injustitiæ, si eleemosynas pauperum detinent, propter quod, *necatores pauperum* vocantur in dicto Concilio Vasensi et Conc. Carthag. IV, c. 95, et Conc. Agathensi, c. 4, et aliis, quæ referuntur, 13, q. 2. Atque in hunc modum videtur tandem explicare hanc sententiam Soto, dicta q. 2, art. 4, et Joseph. Angles, quæst. de indulgentiis, art. ult., difficult. 7. Et mihi verisimile est D. Thom. nihil aliud docere voluisse. Unde etiam concludo utilius esse hæc opera facere in vita, quam præcipere fieri post mortem; nam, licet hoc posterius bonum sit, nam est misericordiæ, vel religionis aut pœnitentiæ opus, tamen illud de se est melius, non solum quia est securius et quia citius prodest, quod omnes fatentur, sed etiam, quia magis meritorium est, magisque satisfactorium, ut ex dictis satis constat.

Num restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur, aliquid conferat ad remissionem pœnæ.

19. *Prima sententia.*—Atque hinc expeditur facile aliud dubium de restitutione, quæ post mortem fieri præcipitur, an conferat aliquid ad remissionem pœnæ, vel ob solam ejus dilationem possit anima diutius in purgatorio detineri. In quo dubio non disputamus, an teneatur quis restituere ante mortem; supponimus enim, per se loquendo, teneri; tamen sæpe accidit ut id fieri non possit in articulo mortis, sive ex præterita culpa, sive absque illa; utroque enim modo potest homo tunc justificari præcipiendo restitutionem post mortem. Et tunc certum est apud omnes, etiamsi restitutio postea non fiat, non propterea fieri perpetuam pœnam defuncti, quia illud non imputatur illi ad novam culpam mortalem; præterita autem culpa jam remissa fuit, et ideo non potest pœna fieri perpetua propter illam solam causam. Dicunt vero aliqui, multum differri ob eam causam; ita Gab. cum Richar. supra; quibus favent nonnullæ revelationes animarum defunctorum, quæ vivis apparent et petunt restitutionem suorum debitorum fieri, ut valeant a purgatorio liberari; imo S. Brigitta, lib. 6 Revelationum, cap. 66, affirmat, animam tandiu cruciari, donec restituatur quod ablatum est. Hæc autem dilatio non potest fundari, nisi in hoc, quod ipsamet actualis restitutio aliquid prodest animæ ad pœnæ solutionem; nam si illa non prodesset, nec omissio ejus obesset.

20. *Secunda sententia.* — *Primus secundæ sententiæ sensus.* — Nihilominus Soto, in 4, d. 45, q. 2, art. 3, absolute negat, restitutionem hanc quidquam conferre animæ purgatorii, ut a pœna liberetur, quia, si anima decessit in gratia, et sine ullo reatu pœnæ, statim evolabit in cœlum, etiamsi restitutio facta non sit; si vero decedit cum aliquo reatu, luet quidem in purgatorio tantam pœnam, quanta ad expiationem illius reatus sufficiat; statim vero præmium gloriæ accipiet, etiamsi restitutio facta non sit. In qua sententia indubitatum esse censeo, animam non detineri in purgatorio ob solam omissionem restitutionis, si non habet reatum pœnæ, quia anima non punitur a Deo, nisi sit debitrix pœnæ; et quia alias puniretur anima propter id, quod non est in potestate ejus, absque alio reatu, qui in ea duret. Denique, quia alias dilatio beatitudinis perpetuo duraret, vel saltem usque ad finem mundi, si debita nunquam solverentur. Unde in hoc non sentiunt oppositum Gregorius et Richardus.

21. *Secundus sensus ejusdem sententiæ.* — Adhuc vero superest difficultas, quando anima decessit cum reatu pœnæ, et maxime propter culpam non restituendi toto tempore vitæ, quæ licet in fine ejus fuerit remissa, non tamen omnino quoad pœnæ reatum; manet, inquam, difficultas, an ad hunc reatum tollendum conferat restitutio, ac proinde, si non fiat, necessaria sit diuturnior pœna ignis ad illum reatum expiandum. In quo sensu videtur etiam Soto negative respondere, quanquam discursus ejus revera id non probet. Et ideo Bellarm., lib. 2 de Purgator., c. 16, eamdem sequens sententiam, addit aliam rationem, scilicet, quia restitutio non est actus satisfactorius, quia satisfactio est bonum opus pœnale; pœnale autem est dare suum, non restituere alienum. Quæ ratio difficilis est; nam, quodlibet opus virtutis est satisfactorium; nam inter vivos facere opus justitiæ restituendo alienum, est apud Deum satisfactorium, quia moraliter loquendo, pœnale existit. Si ergo dicamus cum communi sententia supra tractata, ipsam executionem eleemosynæ mandatæ a defuncto conferre postea ad specialem satisfactionem, idem ego dicerem de opere restitutionis, quanquam fortasse non sit æque satisfactorium; tamen quod aliquid conferat, si cætera necessaria concurrant, probabilius videtur. Quia vero nos credimus hanc executionem externi operis per se non conferre ad pœnæ solutionem, idcirco a fortiori idem dicimus de actu restitutionis; ex accidenti vero potest juvare excitando creditores, vel alios fideles ad orandum pro defuncto. Et ex hoc capite poterit interdum diuturnior fieri pœna purgatorii propter dilationem restitutionis; et in hunc modum possunt explicari prædictæ revelationes, si admittendæ sunt.

Tertia conditio ex parte offerentis suffragium.

22. *Dubia nonnulla circa conditionem positam.* — *Tripliciter opus unius justi aliis prodesse potest.* — Tertia conditio ex parte suffragantis est, ut intendat per opus suum, suffragium ferre alteri, quam omnes etiam Theologi admittunt. Et ratio est clara, quia quando opus satisfactorium pro altero non offertur ex intentione operantis, illius tantum manet, quia non est unde in alium transferatur, et ideo alii non prodest ad satisfactionem, sed solum ipsi operanti. Quando vero voluntate sua alteri illud donat, tunc ei proprie suffragatur; ideoque hæc conditio necessaria est ad proprium suffragium. Dubitant vero Theologi, an opus pro uno tantum oblatum prosit aliis, vel æqualiter, vel saltem inæqualiter, et consequenter an opus bonum aliis non applicatum, quamvis præcipue prosit ipsi operanti, nihilominus aliquid prosit cæteris. Denique dubitant, an sufficiat intentio generalis offerendi opus pro animabus purgatorii, ut prosit omnibus æqualiter vel inæqualiter. Quibus omnibus ut respondeamus advertendum est, tribus modis posse opus unius justi prodesse aliis. Primo de condigno per modum satisfactionis. Secundo directe per modum impetrationis, seu meriti de congruo. Tertio indirecte tantum, et veluti per quamdam consecutionem, quæ etiam est per modum impetrationis et meriti de congruo.

23. *Suffragium illi soli prodest de condigno, cui ex intentione offerentis applicatur.* — Primo igitur modo illi soli prodest suffragium, cui ex intentione offerentis applicatur. Et de hoc præcipue loquimur in assertione; idque convincit ratio facta, et docet D. Thom., dist. 45, q. 2, art. 4, quæstiunc. 1; et ibi Richard., art. 2, q. 3; Palud., q. 2, art. 2; Suppl. Gab., art. 3, dub. 6. Qui referunt oppositum sensisse Præpositum, qui comparabat suffragium lucernæ, quæ licet ex intentione illuminandi aliquem afferatur, tamen ex consequenti æque illuminat adstantes; sed non erat accommodata comparatio; nam potius hoc suffragium est simile pecuniæ, quæ offertur ad liberandum inclusum in carcere, quæ pro uno oblata, illi prodest et non aliis; et ideo tam D. Thom. quam reliqui Theologi illam sententiam rejiciunt. Imo hac ratione supra dicebamus, opus oblatum omnino pro altero in satisfactionem, etiam ipsi operanti non prodesse ad pœnæ solutionem. Unde e converso, si nulli alteri applicetur ex intentione operantis, illi prodest et non aliis; nam ut ipsi prosit, non requiritur specialis intentio, quia ex natura rei suum est opus. Ut autem quasi alienetur, necessaria est specialis voluntas et intentio formalis vel virtualis. Ex quo etiam constat, si hæc intentio generalis sit ad multos vel ad omnes alicujus status et conditionis, omnibus illis prodesse, minus tamen singulis, quam si pro uno tantum offerretur; quia id, quod donatur, finitum est, et ideo inter plures divisum minus fit in singulis, ut sæpe dictum est. Illa autem divisio fiet aut secundum æqualitatem, aut secundum proportionem, juxta intentionem offerentis; nam est eadem proportionalis ratio.

24. *Suffragium illi potissimum directe impetrat cui offerens aliquid impetrare intendit.* — *Discrimen inter impetrationem et solutionem.*—Secundo de impetratione directa etiam

est certum multum pendere ex intentione operantis; imo in hoc potissimum differt ab indirecta, quod ad illum dirigitur, cui orans, seu offerens aliquid impetrare intendit. Et ideo certum apud omnes est, orationem magis esse impetratoriam pro his, pro quibus funditur ex intentione orantis, quam pro aliis, quod non solum de orationibus privatis, sed etiam de communibus Ecclesiæ suffragiis sentit Augustinus, lib. de Cura pro mortuis agenda, c. 4, satisque constat ex usu Ecclesiæ; non enim sine causa pro aliquibus in speciali orat. Imo ex natura rei hoc sequi videtur ex ratione orationis; est enim petitio quædam, quæ ad hoc ordinatur, ut voluntas petentis impleatur, et ad hoc habeat suam specialem vim et efficaciam, quam impetrationem vocamus. In hoc ergo est aliqua convenientia inter satisfactionem et impetrationem. In eo vero constituitur ab aliquibus differentia, quod oratio pro multis facta non est minus impetratoria pro singulis, quam si pro eis tantum fieret; quia impetratio non consistit in solutione pretii, quod dividendum sit, sed solum in petitione, quæ innititur liberalitati, vel promissioni Dei, quæ non est minor respectu plurium, quam unius. Ita sentiunt Adrian., Quodlibet. 8, et Palud., d. 4, q. 2, art. 2; Cordub., q. 42 de Indulg. Scot. autem, Quodlibet. 20, putat hoc modo minui efficaciam orationis ad impetrandum singulis. Quæ sententiæ possunt fortasse in concordiam redigi, si prior intelligatur, quando oratio ita fit pro multis, ut distincte et in particulari fiat pro singulis; posterior vero, quando confuse, et generatim fit pro multitudine, juxta ea, quæ breviter dixi superiori tomo, disputatione 79, sect. 12, in fin., et latius, Deo dante, dicam in tomo de Religione, de oratione disputans.

25. *Quibus et quomodo suffragium indirecte prosit.* — Tertius fructus, quem indirectum vocamus, communiter explicatur a Theologis per gaudium, quod in aliis bonis resultat ex bono opere cujuslibet justi, quem fructum possumus objectivum appellare, et de hoc manifestum est nec requirere intentionem operantis, nec minui in singulis, propterea quod multi sint; sed hoc non potest dici suffragium, etiam improprie, ut per se constat. Alium ergo fructum indirectum ego considero in operibus justorum cum Adriano et Corduba supra; nam propter illa Deus interdum benefacit eorum sociis, vel amicis, etiam ipsis nihil petentibus vel cogitantibus; et hanc ego voco indirectam impetrationem, quæ non pendet ex intentione operantis, sed est quid concomitans vitam justam et sanctam apud Deum; quia vero hoc non fit sine aliquo merito de congruo, existimo servare aliquam proportionem cum effectu obtinendo, et cum personis, quibus impetrandus est, quia nullum est aliquale meritum, quod non servet aliquam proportionem cum præmio, qualecunque illud sit.

26. *Possitne satisfactio unius, alteri per superiorem applicari.* — Quæret vero aliquis an opus satisfactorium unius possit alteri applicari per voluntatem alienam, verbi gratia, superioris. Quidam enim putant id posse fieri, quando voluntas operantis subest alteri, etiamsi ipse operans renuat, vel pro alio offerat. Quod sentit Paludanus, d. 14, q. 1, n. 8, qui etiam putat mandatum superioris tantum posse, ut, si ipse sit justus, suffragium fructuosum sit, etiamsi subditus exequens sit in statu peccati. Neutrum autem credo verum, et de posteriori quidem puncto sufficiant superius dicta, et videri potest Soto, dist. 45, q. 2, a. 1; de priori vero dicemus fortasse plura in sequentibus disputationibus de Indulgentiis; interim videri potest Cordub., lib. 5 de Indulgent., q. 42, et quæ in simili diximus superiori tomo agentes de applicatione sacrificii Missæ. Tandem inquiri potest, quid fiet de fructu satisfactionis, si verbi gratia, offeratur suffragium pro anima, quæ illo non indiget, quia jam est in cœlo, vel illius non est capax, quia est in inferno. Atque eadem quæstio est, si justus faciat opus satisfactorium, cujus ipse non indiget, quia nullius pœnæ est reus, neque alteri applicet. In iis enim et similibus casibus aliqui dicunt, pro Dei arbitrio et voluntate applicari aliis indigentibus. Sed verior responsio est, reponi in thesauro Ecclesiæ. De quo in sequentibus dicemus.

FINIS QUINTÆ PARTIS HUJUS OPERIS.

ULTIMA PARS HUJUS OPERIS

DISPUTATIO XLIX.

DE POTESTATE CONCEDENDI INDULGENTIAS

ET AN SIT ET QUID SIT INDULGENTIA.

1. Hæc est pars ultima hujus libri, in qua tractandum est de alio modo obtinendi remissionem pœnæ temporalis absque propria satisfactione, vel satispassione ipsius peccatoris, qui est per concessionem indulgentiæ. Qui modus communis est vivis et defunctis, sicut modus subveniendi aliis per suffragia. Differt tamen, quia suffragia offerri possunt et applicari pro aliis per privatam voluntatem et potestatem, indulgentiarum vero concessio publicam potestatem, seu jurisdictionem requirit. Ut igitur a quæstione, an sit indulgentia, initium sumamus, videndum imprimis est, an sit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias; postea vero causas omnes et effectus indulgentiæ, et alia, quæ ad legitimum usum hujus potestatis pertinent, sigillatim declarabo. Prius vero vocis significatio præmittenda est; aliqui enim reprehendunt Theologos eo quod hac voce in bonam partem utantur, id est, ad explicandum legitimum usum alicujus Ecclesiasticæ potestatis, cum in Latina proprietate nimiam quamdam licentiam et facilem permissionem impune agendi contra jus significare soleat.

2. *Vocis indulgentiæ descriptio.* — Verumtamen, quamvis hæc vox interdum habeat significationem hanc, sæpius tamen in bonam partem accipitur, et significat honestam seu moderatam alicujus debiti seu pœnæ remissionem ex liberalitate vel misericordia factam; imo Cicero interdum naturalem amorem parentum ad filios indulgentiam appellavit; alibi vero amicitiam mutuam, ac veniam, seu remissionem debitorum, quam sibi invicem homines exhibere debent, dixit esse indulgentiam et benevolentiam, qua humanum genus continetur et conservatur. Hic etiam usus frequens est apud sanctos Patres, Hieronymum in cap. 4 Daniel.; Cyprianum, lib. de Lapsis; et Tertullianum, lib. de Pudicitia, et alios infra referendos, quos posteriores Doctores et Scholastici imitati sunt. Sic igitur indulgentia, generatim sumpta in bonam partem, dici solet quælibet gratia, seu liberalis concessio, vel debiti remissio, aut etiam justa legis dispensatio; imo aliquando etiam jus, quod benignam aliquam concessionem, seu moderationem continet, *indulgentia* nominatur, juxta cap. *Interfectores*, 33, q. 2. In cap. autem *Dudum*, de Privileg., quodlibet Pontificium privilegium *indulgentia* nominatur, idemque sumitur ex cap. ult. *Ut lis pendente*, etc. Leges etiam civiles eadem voce in simili significatione utuntur, ut Bellarminus erudite notavit in principio hujus materiæ. Ex hac vero generali significatione usu Ecclesiæ accommodata est hæc vox ad significandam specialem remissionem pœnæ debitæ pro peccatis jam remissis quoad culpam, quæ fit a pastore Ecclesiæ, habente ad hoc potestatem, juxta cap. *Quod autem*, de Pœn. et remis., et cap. *Indulg.*, eodem tit., in 6. In hac ergo significatione, voce hac in hac materia utimur, quæ explicando rem ipsam magis innotescet.

SECTIO I.

An sit in Ecclesia potestas concedendi fidelibus peccatorum indulgentias.

4. *Post remissam culpam potest manere reatus pœnæ temporalis.* — *Sensus quæstionis.* — Sensus hujus quæstionis exposita nominis interpretatione facilis est, nimirum an sit in Ecclesia potestas ad remittendam alicui pœnam temporalem debitam pro pec-